

Vnde colligitur Concilium Limesis possessionem suam.

Alia circa administrationem ex eodem.

Circa tempus celebrandi notata nulla.

audierunt, & accipiat penitentiam: est continuo creditur moriturus, reconciliatur per manus impositionem, & infundatur ori eius Eucharistia. Si supervixerit, admonetur à sacerdotibus vestibus petitioni sua satisfactum &c. Ex quibus Patres Limesis Concilij non incongrue deducere potuerunt in mortis articulo non eam exactam dispositionem, quæ aliis solet peti temporibus, requirendam. Qui enim tantum voluntatem confitendi ostendit, & vocari Sacerdotem voluit, nondum censetur plene dispositus: quia tamen voluntatem illam solet comitari dolor, ea iudicatur sufficiens dispositio, ut absolutionis beneficium ei possit impendi, & Eucharistia, cuius remotam tantum & virtutem voluntatem ostendit, ministrari. Quod quidem cum ita iura disponant, & generalis doctrina sit, Indis & Aethiopiis dubio est procul adaptanda: eoque urgentius, quod cum ex opere operantis parum salutis æternæ negotium valeant promovere, Sacramentorum debent subsidij roborari.

441 Addit Concilium alia pro decenti administratione, & postea sic subdit: ubi verò Eucharistia non asseruatur, id fiet peracto ante meridiem Missæ sacrificio, atque hostijs pro indigentium numero consecratis. Sic illud, sapienter cauens aliquorum infirmitatem, qui ad Communionem morituris præbendam, Missam fortè importunitis temporibus celebrarent. Neque enim defunt aliquando tales, sicut nec defuit, qui Ioannis Maioris sententiam complexus, solam hostiam vespere consecrauit. Non est tamen propterea credendum voluisse Consilium probabiles circa hoc opiniones expurgere, ut minime illis locus esset futurus. Videtur autem circa hoc illa regula deservire, ut ij, qui priuilegium nullum habent ad postponendum Missæ tempus, ut sunt communiter Sacerdotes sæculares, dicere Missam possint horâ tertiâ post meridiem, quantum scilicet priuilegiatis licet, iuxta probabilem opinionem, pro qua videri possunt quæ adducit Mag. Ioannes de la Cruz in Directorio Conscientiæ Parte 2. de Sacrificio Missæ quæst. 2. dub. 1. Conclus. 4. & approbat Diana Parte 2. Tractatu 14. Resolut. 34. de quo & Nos supra à num. 247. quia verò in casu necessitatis plus aliquid est priuilegiatis concedendum quam aliis liceat; necessitas enim priuilegium aliquod secum affert, ad totum illud se potest facultas cuiuslibet Sacerdotis extendere: quia in priuilegiato totum illud licet ratione necessitatis; ne scilicet moriturus circa æternam salutem irreparabile dispendium subeat: quæ ratio in quocumque Sacerdote militat, ut non debeat infirmum subsidio tali, dum lex Ecclesiæ non deprehenditur contraria, defraudare: & de his satis.

C A P V T XVIII.

De Priuilegijs Indorum circa Quartum Ecclesiæ Præceptum, de Ieiunio.

Priuilegia Indorum circa ieiunium.

442 Magni circa hoc illi priuilegijs perfruuntur: per concessionem enim Pauli Tertij in Bulla, quæ incipit, Altitudo diuini consilij, ab omnibus ieiunij

nij Ecclesiasticis legibus eximuntur, præter Ferias Sextas Quadragesimæ, Sabbatum Sanctum, & Vigiliam Natiuitatis Domini. Possunt etiam in omnibus diebus, in quibus à carnibus abstinentia præcipitur, omnibus iis velsi cibis, quibus velsi possunt qui Bullam Cruciatæ accipiunt, ex eiusdem Pontificis concessione: de quo Fr. Ioannes Baptista in Animaduersionibus pro Confessarijs Indorum Parte 1. verb. Anno. FF. Emmanuel, & Hieronymus Rodriguez, & Verracruz apud P. Quintanad. Tomo 2. Tract. 9. Singulari 34. Neque hoc mirum, cum in Indijs consuetudo inualuerit circa talem vsum, de quo diximus Titulo 5. num. 226. & seqq. & pro quo pugnat Dom. Villaroel Parte 1. Pacificæ gubernationis Quæst. 3. Artic. 2. per totum. Contrarietibus Commissarijs S. Cruciatæ, sed non obtinentibus, dum docti, & pij, ac in iis Religiosi pro consuetudine stant, eamque suo ipsorum vlu non verentur roborare. Videat ergo sanctorum illud Tribunal quid circa hoc præstandum, ne, dum priuilegium Bullæ tueri curat, laqueus conscientijs, ut experientia constat, iniiciatur. Præter dictos etiam dies Indi in multis partibus Indiarum ad abstinentiam à carnibus non tenentur in Sabbatis: pro quo quidem priuilegium nullum extat, sed id consuetudine est tantum introductum. Quia verò Aethiopi consuetudo talis non fuit, ad illos talis non extenditur permissio. Et certè oportuit Indi occasione lapsium frequentium amputari. Cum enim in Indijs, sicut & in Hispania, liceat Sabbatis animantium extremitatibus, & intestinis velsi, quorum carnes diebus non vetitis solent manducari; difficile esset Indos inter extremitates, & partes alias distinguere, cum discrimen illud nullâ sit rationis luce perspicuum, & circa vsum nihil tale discernet appetit, in iis præsertim, qui ad hæc immoderata inclinatione feruntur. Ex quo alicui forsitan videbitur pro Aethiopijs eandem facere rationem, quia & isti discrimen tale deprehendere rationis lumine nequeunt, & inclinatio ad negotia ventris non minor in illis, cum onere alijs feruitutis, exilij à patrijs sedibus, & derelicto penitus solatio parentelæ. Quod quidem reuera ita est, sed ratio pro consuetudine vrget. Nihilominus non videtur improbabile oppositum ex doctrina multorum, dicentium legem fauorabilem extendi secundum identitatem rationis, immò & priuilegium, si præsertim fauor in eo fidei aut Religionis versatur. Consuetudinem autem instar legis interpretandam quoad obligationem, & alia legis propria, docent P. Suarez, P. Azor, & P. Salas, quos adducit & sequitur Diana Parte 6. Tractatu 5. Resolut. 17. & quidem cum ad consuetudinem legitime introducendam consensus Principis requiratur, qualiscumque ille sit, de quo num. 199. circa eam, de qua loquimur, consensus Principis, Pontificis inquam, inuenitur. Quis enim credat Paternam illius pietatem erga Indos hæc in parte propensam, erga Aethiopes, miserabiliores profecto personas, minus se suauem ac liberalem exhibere?

Sabbatis licet Indi velsi carnis, non tamen Aethiopijs, ex consuetudine.

Non esse improbabile licere, istis.

Priuilegijs ad dispensandum

cum Indis & Neophytis circa ieiunia.

Indi à Neophytis quomodo distinguantur in illo.

In rigore qui dicuntur Neophyti.

Religiosos dispensare posse, etiam si Parochi non sint. Si autem Parochi, etiam ratione officij.

Quid Vicarij.

Dispensatio s. 1. & 2. & quia illa iam finita, vel quòd Oracula, vel quòd cum temporis limitatione tributa, ab Urbano Octauo noua est facta concessio, quæ & ipsa expirauit, non ita quæ ab Innocentio X. & ita habet: nec non cum Indi in foro conscientie tantum, & cum Neophytis in vtroque foro, super ieiunijs, gratis tamen dispensandi. Sic ille. Vbi non videtur facilis concessionis huius intellectus, cum Indi à Neophytis distinguantur, & his major quam illis circa dispensationem gratia fiat. Cum in eadem etiam Bulla statim declaret Pontifex omnes oriundos seu naturales Supradictarum omnium, tam Orientalium, quam Occidentalium partium: immò etiam Aethiopes, Angulani, vel quarumuis aliarum transmarinarum regionum, etiam Christianorum filij, ac in infantia baptizati, velsi iam inter se, vel cum Europæis mixtum progeniti sint, ad concessionem huiusmodi effectum esse & intelligi debere Neophytos. Si dicatur Neophytorum nomine alios intelligi, qui Indi non sunt, sed transmarini incolæ, id non est vilo pacto verosimile, quia incredibile est Pontifices plus illis quam Indi fauere voluisse: cum pro Indijs dispensandi facultas tantum circa forum conscientie concedatur, alijs pro vtroque. Videtur ergo dicendum Neophytorum nomine illos intelligi, qui verè tales sunt, iuxta Iuris acceptionem, recens inquam conuersos, qui nondum à recepto Baptismo in adulta ætate decem annos exegerunt, ut Doctores communiter explicant, & videri potest apud Bonacinam Tomo 1. Tractatu de Censuris Disp. 7. Quæst. 2. Puncto 1. num. 5. vel quomodo-cumque aliter explicetur: pro quo P. Suarez Tomo 5. in 3. p. Disp. 43. Sect. 3. num. 6. & 7. Cum Indi ergo in infantia baptizati dispensari tantum in foro conscientie potest, cum alijs in vtroque: vbi ratio discriminis est comperta. Quòd verò Pontifices statim declarent Neophytorum nomine venire Indos & quoscumque alios ultramarinos incolæ, non obstat traditæ expositionis quia id intelligendum est, vbi contrarium manifestè non ponitur, ut in casu nostro.

444 Possunt autem Religiosi Societatis prædictam dispensationem impendere, etiam si Parochi Indorum non sint, in quo præsertim virtus priuilegij consistit. Si enim sint Parochi, satis probabile est posse ex vi talis muneris dispensare, ut docent complures Doctores: idque non solum absente Episcopo, aut eius Vicario, sed etiam præsentem: non enim ita facilis ad illos est aditus. Videantur illi apud Pasqualigum Decisione 387. num. 1. qui & addit cum Ioanne Sanctio in Selectis Disputat. 54. numer. 36. non solum Parochos id posse, sed etiam eorum Vicarios. Quæ extensio nimia profecto est, & contra id, quod consuetudine videtur esse receptum, si de Vicarijs quibuscumque loquamur. Sunt enim Vicarij, qui plenam officij administrationem habent, & alij, qui in partem sollicitudinis tantum aduocantur. Illis prioribus cum iurisdictione plenè competat, id etiam licebit, quod ad dispensationes spectat, in quibus iurisdictione exercetur; alijs autem non ita; nisi fortè ad Parochum aditus non facilis sit, tunc enim rectè præsumitur iurisdictione ad actus huiusmodi, qui frequenter occurrunt, prorogata. Pro quo videri potest P. Quintanad. supra Singulari. 33. n. 1.

445 Facultas autem dispensandi Religiosis concessa valde ampla est, cum limitationem nullam habeat, nisi illam de foro interno & externo, super ieiunijs inquam. Possunt ergo dispensare super ieiunijs, non solum quæ pro Indijs, & Neophytis alijs de præcepto sunt, pauca scilicet illa, de quibus num. 442. sed etiam in alijs, quæ sunt communia, & in quibus abstinentia à carnibus seruari ab illis debet, sic enim dies ieiunij etiam dici possunt. Vnde cum in Iure statuta ieiunia sint, obligatio eorum tantum erat de abstinentia à carnibus, neque aliud ex eo expressè colligi potest, sed vnica comestio consuetudine introducta est, ut restantur Doctores, quos adducit & sequitur P. Fagundez circa Præceptum 4. Lib. 1. Cap. 4. num. 1. qui & videndus Cap. 6. num. 4. & 5. circa ieiunium Sabbati, & Feriæ 6. quod imperfectum quidem est; tale tamen ut dies prædicti possint ieiunij compelli. Et licet imperfectum illud; vbi de priuilegio agitur, ad ipsos extendendum, cum causa est pia, iuxta sæpius dicta, & esse in præsentem liquet. Pro quo videri potest P. Palaus Tomo 1. Tractatu 3. Disputat. 4. Puncto 10. num. 5. & P. Pellizarius Tractat. 8. num. 142. vbi de priuilegijs Regularium agunt. In priuilegio autem, de quo loquimur, pietatis, fidei, & Religionis negotium agitur, vnde & constat ampliandum. Poterunt ergo Religiosi Societatis cum Neophytis dispensare ut carnes comedant in diebus dictis, congruè ad id suppetente ratione, ut frequenter suppetit, ob defectum ciborum aliorum, quæ ad robustum alimentum requiruntur: valde enim debilia esse solent illorum pulmenta, carnis demptis, in iis præsertim, qui ab oppidis Hispanorum distant. Et licet talibus soleant esse contenti; aliud est, quod necessitate cogente sustinent, aliud quod lege Ecclesiasticâ conficti debeant sustinere: vnde & frequentissimè propter hanc causam à ieiunijs etiam sibi proprijs excusantur. Et in pastoribus hoc specialius præstari debet, quia præter carnes vix est solidum aliquid, quo velsi possint: & licet lacticijs ieiunium tolerare possint; non tamen alimentum huiusmodi tale videtur, ut licet in rigore sufficiens sit, non debeat sufficiens ratio dispensationis ad edendas carnes, illius sola copia iudicari. Rigor enim cum illis tenendus non est, ex quo aperte resultat incommodum, & dubia præterea manet obligatio: quo euentu dispensari in ieiunio posse, innumerè tenent Doctores videntur apud Pasqualigum Decisione 596. num. 3. sicut & plures asserentes dispensari posse quando dubium est an ratio ad dispensandum sit sufficiens.

446 Sed dubitari vterius potest an Indi teneantur ad ieiunia vel à Magistratibus ex voto, Episcopo ex statuto indictis. Ad quod affirmatiuè respondet P. Quintanad. supra, in fine: nisi aliunde hi prohibiti sint eiusmodi condere statuta vel Indos in eis aperte exclusos protestentur. Sed contrarium dicendum, sicut de Festis diximus Cap. 15. quod scilicet Indi comprehensitibus statutis non sint, nisi de illis mentio expressa habeatur. Cum enim Ecclesia ab obligatione ieiuniorum, quæ grauissimis legibus in eadem, & ob solemnitates celeberrimas seruari sunt solita, exemptos velit; non est præsumendum

Amplius de dispensationibus explicatur.

Pro comedendis carnis ut debeat præstari.

Indos non teneri ad ieiunia specialia populorum.

Neque ad abstinentiam à carnibus.

dum aliam esse eorum mentem, qui ieiunium aliquod speciale constituunt, cum membrorum sensus Capitis sui debeat sensui esse conformis. Quod & intelligendum de ieiunio imperfecto, abstinentia inquam sola à carnibus: quia cum non exprimitur, non est cur debeat ea fieri discretio ut illi grauentur, quorum iugum oportet leuius reddi, & de quorum imbecillitate agit idem Auctor num. 4. quæ generalis quidem non est, sunt enim quamplures eorum robustissimi. Quod autem eorum aliquando imbecillitas generaliter prædicatur, ut in Concilio Limentis, de quo diximus numer. 432. ad animam est potius, quam ad corpus referendum, ut ibidem Concilium expoluit addens & spiritualis sensus inopiam &c.

CAPVT XIX.

De Priuilegijs Indorum circa decimas, & primitias, pro quibus quintum Ecclesie Præceptum.

Circa obligationem Indorum soluendi decimas dictum supra, & quæ dici generaliter possunt, ad eorum causam coarctando, pro ea

Affertio 1. Indos ad solutionem decimarum conuenienter obligari.

Cap. Parochianos

Quomodo illa ex diuina institutione.

447 Dico primò. Indos decimas, & primitias, aut tale aliquid Ecclesie soluere, res est sanctissima, & quæ ab omnibus recte sentientibus debet commendari. Id constat ex Alexandri Tertij Constitutione in Cap. Parochianos, de decimis, ubi sic ait: Cum decima, non ab homine, sed ab ipso Domino sint instituta, quasi debitum exigi possunt. Sic ille. Sunt quidem à Domino instituta in veteri lege; ex quo constat esse illas iuri ac diuinæ institutioni conformes. Licet autem in lege gratiæ præcepta veteris, quæ iuris erant positui, non obligent; ex institutione tamen illa, quæ in iure naturæ fundatur, optimè potuit Ecclesia formam præcepti desumere, ut id statueret, quod alendis Ministris, & decori suo sustentando ac promouendo opportunum videretur. Quotam ergo Ecclesiastici iuris esse, solutionem verò in genere diuini, quatenus ex naturæ instinctu descendit, sic dictante Deo, ut danti spiritualia, non ut pretium, sed ut alimenta corporalia ministrarentur, communis Doctorum resolutio est, qui videri possunt apud Dom. Solorzanum Tomo 2. Lib. 1. Cap. 21. numer. 44. & seqq. & in Politica Lib. 2. Cap. 22. §. El segundo, & seqq. & P. Fagundez Lib. 1. circa §. Ecclesie Præceptum. Cap. 1. num. 1. & seqq. Licet non desint multi Canonici iuris Interpretes, qui præfatis Alexandri Tertij verbis, & consimilibus aliis Innocentij Tertij in Cap. Tua nobis, & Cap. Cum non sit, eodem Titulo, innixi, jus in quotà etiam diuinum agnoscant, ut videri apud citatos potest, & alios de hoc agentes. Hoc autem sic stante, quòd Indi ad Christum conuersi, & ab illis præcipue progeniti, soluere decimas debeant, exploratum est, cum subditi Ecclesie sint, & ad sustentationem sibi in spiritualibus seruiendum teneantur. Neque enim illi spiritualibus ministris occupati fodere aut arare possunt, nec debent mendicare. Quòd si D. Paulus suo se labore sustentabat,

scenæ factoriam exercens artem, id quidem ex supererogatione ingentis spiritus factum, non ex obligatione, cum à Christo dictum fuerit Luca 10. v. 7. In eadem autem domo manete, edentes & bibentes quæ apud illos sunt: dignus est enim operarius mercede sua. Pro quo & Apostolus ipse 1. Cor. 9. longum discursum atexit, & inter alia sic dicit: Sed non vsi sumus hac potestate: sed omnia sustinemus, ne quod offendiculum demus Euangelio Christi. Nescitis, quoniam qui in sacrario operantur, quæ de sacrario sunt, edunt: & qui altari deseruiunt, cum altari participant? Ita & Dominus ordinauit vs, qui Euangelium annuntiant, de Euangelio viuere. Ego autem nullo horum vsus sum. Non ergo Indi ab hac diuina & naturali lege exempti sunt: modus autem in ea seruandus potuit ab Ecclesia præscribi; & sic factum decimarum imposita præstatione.

Affertio 2. Indos non teneri soluere decimas, si aliquid tribuunt pro sustentatione Pastorum.

Cap. Ad Apostolicæ.

Cap. Nouum genus.

448 Dico Secundo. Decimæ non ita debentur ab Indis, ut si aliunde Pastores alant suos, debeant illas, aut minus etiam aliquid ex natura prouentibus exhibere. Id constat ex Cap. Ad Apostolica, citato Titulo, ubi duplicem decimam soluendam non esse decernitur, sed vnicam illi Ecclesie, in qua fideles Ecclesiastica percipiunt Sacramenta. Item. Quia decimæ stipendium laboris spiritualis sunt; vnde in Cap. Nouum genus, ibidem, sic dicitur: Illi profecto Clerici, qui à Clericis spiritualium ministeriorum labores accipiunt, decimas eis debent. Sic ibi. Pro quo Caietanus 2. 2. q. 87. art. 1. §. Ad hoc dicitur. Nulli autem pro ordinario labore duplex stipendium debetur, nisi fortè nouus titulus, aut incrementum laboris accedat, ut videri potest apud P. Lessium Lib. 2. Cap. 24. Dub. 5. P. Fragosum Tomo 1. pag. 420. num. 58. & alios. Magisque pro instituto præsentis P. Suarez Tomo 1. de Religione Tractat. 2. Lib. 1. Cap. 5. num. 8. Hinc est ut cum Indi, dum tributum soluant, partem eius pro Parochorum sustentatione contribuant, secundum id, quod Regiis est legibus ex Pontificia facultate constitutum, non debeant vterius decimarum exactionibus aggravari. Quòd si decimas ab eis exigi videatur expediens, ut Indi magis Ecclesiasticis institutionibus conformentur; minuatur tributum iuxta eam partem, quæ pro primo effectu, ut dicitur, doctrinæ inquam, exhibetur. Neque enim dici potest decimas etiam deberi ad sustentationem Prælatorum, ut sunt Episcopi, & alij: ut ait P. Suarez supra num. 7. nam pro illo ea sufficienti quæ ab aliis fidelibus ministrantur, & ut ministrare possint, Indorum operæ conferunt, quia in eorum prædijs vt laborent, exiguo designato stipendio, compelluntur. Item Hispani ob titulum dictum non soluant decimas, & tributum aliud: ergo neque Indi soluere debent: quæ est euidentis consequentia. Et ita quidem, ut dixi alia, à supremo est Indiarum Consilio post diuturnam controuersiam iudicatum: sed illius sententiæ oblectatum validè, ut fit passim in iis, quæ pro Indorum commodis disponuntur. Quid autem in talibus pro foro conscientie liceat, sciunt illi, qui aliquid sciunt, vnde non est opus circa illud immorari. Pro quo etiam

Ob titulum sustentationis Prælatorum non debentur ab ipsis.

Affertio 3. Consuetudinem non obligari, nisi semper ad id.

449 Dico tertio. Licet verum sit in exigendis decimis attendendam esse consuetudinem, iuxta id quod in Iure statuitur, ut videri præsertim potest in Cap. Cum sint, de decimis, ibi: &

D. Pauli exemplum non obstat, cum suffragetur doctrina.

Lucæ 10. v. 7.

1. Cor. 9. v. 12. 13. & 14.

attendenda, cum de exactione decimarum agitur erga Indos.

Cap. 1. de consuetudine in 6.

Affertio 4. non teneri ad illas si egeant, sicut neque generaliter pauperes.

Ratio ex P. Suario.

Alia boni Auctoris.

ideo in huiusmodi dubitatione ad consuetudinem diximus returrendum. Et Cap. Ad Apostolica, ibidem, verbis illis: Tu eligas in hoc casu, quod per consuetudinem diu obtentam ibidem videris obseruatum. Et sic alibi. Circa Indos tamen consuetudo nequit allegari. Id constat ex eo quòd erga illos non iure, sed iniurià agi solet, nec iudicari potest Pontificem circa hoc annuere, vbi pusillos & imbecilles violentia opprimit, vt consuetudo legitime præscripta iuxta iuris qualitates sanctè dispositas censetur, de quo dictum num. 199. Cum enim rationabilis esse debeat, ex Cap. Cum tanto, quod est finale de Consuetudine, & Cap. 1. de Constitutionibus in 6. id quidem in casu præsentis penitus definit, tum ex Cap. 1. de Consuetudine Titulato, & Libro, ubi sic dicitur: Corruptelam, cum sacris sit inimica Canonibus, & de ambitionis radice processerit, merito reputantes, &c. Quomodo ergo rationabilis esse consuetudo potest, in qua contra iura naturæ, violentià incussa, proceditur, & avaritià stimulante firmatur? Tum etiam ex citato Cap. finali, de Consuetudine, ubi quæ est iuri naturali contraria, penitus reprobat. Tum denique, quia id quod omnibus rectè sentientibus cum horrore proponitur, rationabile esse nequit, quia ratio consonat rationi, minimè passionibus lucem eius inuoluentibus obumbrata: sic autem euenit in præsentis, vt luce est ipsa manifestus. Cum etiam debeat esse legitime præscripta, ex citato Cap. finali. Cap. Non est, de Consuetudine in 6. & alibi: id sanè in calu nostro non suppetit: iuxta communem enim Doctorum sententiam, quos adducit Diana Parte 6. Tractat. 5. Resolut. 9. actus per vim & metum à populo elicit non sufficient ad stabilendam legitime consuetudinem. Pro quo est Cap. 5. de Regulis Iuris, in quo sic dicitur: Quod latenter, aut per vim, vel alia illicitè introductum est, nullà debet stabilitate subsistere. Sic ibi. Videatur Dom. Villaroel Parte 1. Pacifica gubernationis, Quæst. 3. Art. 2. n. 41. & 42. vbi plures Auctores accumulati.

450 Dico quarto. Indi non tenentur decimas integrè soluere, si ita egeant, vt id quod subtrahunt, ad suam & suorum sustentationem, necessaria recognoscant, vt sæpe accidit. Sic Doctores qui de pauperibus generaliter loquuntur, ex quibus videri possunt P. Suarez supra Cap. 16. n. 15. & 16. P. Filiucius Tractat. 27. num. 167. P. Palaus Tractat. 1. Dissert. vniù, Puncto 11. num. 3. P. Vincentius Tancredi de Religione, Tractat. 4. Lib. 2. Dissert. 6. num. 4. & alij. Probat id P. Suarez ex Matris Ecclesie pietate: non enim vt simile est velle illam cum tanto rigore obligare pauperes vt ex fructibus sibi & familie ad sustentationem necessarijs, decimas soluere teneantur, vt postea sibi & suis de alimento necessario ad vitam emendicando protideant: nam prius tenetur quisque se alere, quam alios: præsertim hoc tempore, in quo pars illa decimarum, quæ pro alendis pauperibus destinata erat, disparuit, & Ecclesiastici illam possident, & sibi ita applicant, vt eam pauperibus non distribuunt. Argumenta, quæ contra hoc fieri possunt, soluit P. Fagundez Lib. 2. Cap. 3. numer. 4. & 5. vbi bene ait decimas minùs principaliter solui in signum vniuersalis dominij Dei, principaliter autem ad congruam sustentationem Sacerdotum: & iniustum ac irra-

tionabile esse obligare aliquem ad alium sustentandum, cum tamen ipse fame pereat. Si infes nec teneri Sacerdotem gratis operam suam impendere; id negandum respectu pauperum, sicut de Medico, & Aduocato Doctores asserunt. Nec propterea Parochi fame peribunt, quandoquidem aliunde habent vnde satis superque sustententur, sicut Aduocati & Medici, cum sint multi decimas copiose soluentes. Iuvat id, quod ex grauibus adducit Zerola in Praxi Episcopali, Parte 1. verb. Decimæ, ad Primum, populum quidem teneri prætere alimenta Ministris de iure naturali, & diuino; secus verò si non indigeant. Accedit quod ait Caietanus 2. 2. q. 81. art. 1. §. Secundo dicitur, his verbis: Quia de iure naturæ decimæ dantur sunt in subsidium Ministrorum: idcirco si Ministris vacantes non indigent, cessat ratio obligationis iuris naturalis. Sic ille. Pauperes autem ad jus naturale reducantur, cum pro necessitate non sit alia lex. Cap. Quod non est, de regulis iuris.

Notanda doctrina.

Affertio 5. Irrationabiliter introductum non soluentur.

Tale cum ex vno decima exiguè.

Probatio ex Lege, cuius Ecclesia secura exemplar.

Leuit. 27. v. 30. & seqq.

Cap. Omnes decimæ 16. q. 7.

451 Dico quinto. Quidquid irrationabile est circa exactionem decimalem, etsi consuetudine videatur introductum, non est censendum obligare. Constat ex generali scriptorum doctrina circa materiam præsentem, qui abrogandum existimant quidquid irrationabile est. Vnde Zerola supra, ad septimum, ait consuetudinem vt decimæ non soluantur, qualis in multis partibus Italia viget, ab Episcopis debere rescindi, cum sit irrationabilis. Quòd desumpsit ex Couarruuia Lib. 1. variarum, Cap. 35. num. 11. Sicut ergo quando irrationabilis videtur consuetudo, qua jus Ecclesie minuitur, & Ministris sua videntur debita procuracione fraudari, rescindenda illa est; ita & cum irrationabilis in præiudicium soluentium vergit, quia per paria debent iudicari. Talis autem videtur consuetudo vt ex vno indiuiduo decima pars soluatur, si solum illud natura consulerit, vt ex vno pullo animantis cuiusque, & similibus. In quo exactores aliqui inhumanè se gerunt, vnum illud penitus subtrahentes.

452 Probat autem præfata positio ex Ecclesie sensu, iuxta exemplar Legis, quod secuta: sic enim in Cap. Omnes decimæ, 16. q. 7. vbi Dei præceptum adducitur ex Leuit. 27. v. 30. & seqq. & sic dicitur: Omnes decimæ terræ, sive de frugibus, sive de omni arborum, Domini sunt, & illi sanctificantur. Boves, & oves, & capræ, quæ sub virga pastoris transeunt, quidquid decimum euenierit, sanctificabitur Domino. Non eligatur neque malum, nec in alterum commutabitur. Si quis mutauerit, & quod mutar, & quod mutatum fuerit, Domino sanctificabitur, & non redimetur. Sed quia modo multi inueniuntur decimas dare nolentes; statuiimus vt secundum Domini præceptum admonerentur semel & secundo, & tertio, &c. Sic ibi ex Concilio Rothomagensi. Ex quibus manifestum est vnum ex decem naturæ fructibus, non verò vnam decimam partem ex vno solo deberi. Et iuxta hunc intellectum Canones alij indubitatè procedunt. Quòd & indicat Concilium Limentense tertium Act. 4. Cap. 12. dum soluendam ex omnibus terræ fructibus decimam Deo ait, qui dat omnibus abundè ad fruendum. Non ergo vbi nulla abundantia est, vt in casu nostro: neque aliter intelligendum id, quod habetur in Cap. Non est, de decimis, vbi sic dicitur. Et de omnibus bonis decimæ sunt Ministris Ecclesie.

Cap. Non est, de decimis.